



**R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia**

**Tamburini, Tommaso**

**Lugduni, 1689**

Ante non aggredientem aliquando occidere possis?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

An te non aggreddientem aliquando occidere possis?

12. Inquires tertio; An liceat aliquando ob tuam defensionem, interficere innocentem te non aggreddientem? Solet afferri exemplum duplex. Primum. Si quis, v. g. aggreddatur; obiciaturque, quasi pro secuto, homicidium innocentem, potestne occidere hunc innocentem, ut ob aggreffore te defendas; Secundum: Si tu, v. g. equo affligeris, iugias inimicum te occidere volentem, potestne conculcare puerum, vel claudum in via forte iacentem; aliter vitæ tue ferre non vales; Respondeo; vtrumque posse, non intendendo mortem pueri, nec imperando innocentem, sed aggrefforem, quamvis inde interitus persona innocens vulneretur, & cedat. Ratio est, quia id non est directè occidere; sed tuam servare vitam; quamvis inde per accidens, & indirectè alterius mors consequatur. Quomodo omnes concedunt; posse in bello iusto contra Civitatem rebellis bombardas excludi, quorum scilicet morientur plures pueri propter innocentes; si aliter victoria contra Civitatem haberi non possit.

13. Quid si ille puer in via iacens, non sit baptizatus; Respondeo. Lessius, l. 2. c. 9. dub. 9. n. 9. putat non licere illum modo dicto conculcare, at an licere, colligatur ex dictis supra lib. c. 1. §. 2. n. presertim 8. in sententia Iam. Sanchez, 2. de peccatis, nos enim, in casibus tam raro occidentibus, dum immolari non debemus.

Hinc obiter advertas velim, cur Resp. Tyranno volenti totam communitatem destruere, possit, tradere innocentem, quem ipse occideret, communitati servata; non possit vero eadem ipsa Resp. eundem innocentem occidere, quamvis sic servanda sit civitas? Ita Petr. Navarr. l. 2. cap. 1. num. 10. Lopez p. 1. c. 60. Lessius l. 2. cap. 9. dub. 9. num. 13. Ratio enim est, quia hoc esset directè innocentem necare, illud indirectè, & ratio vltior est, quia actio tradendi illum innocentem Tyranno, non est ex se intrinsecè mala, potest enim esse ad alium finem; et Tyrannus abusus ea sit ad iniuste occidendum; quare illum poterit exhibere Resp. propter suam necessitatem; ut etiam potest exponere periculo vitæ suos ad defendendam civitatem, imperando, ut maneat in sua itatione, ut militent, hostes aggreddantur, & similia: At actio innocentem occidendi, cum sit per se intrinsecè mala, nullam excusationem admittere potest.

14. Quod si innocens renuat in priore casu tradi in manus Tyranni, tunc Resp. possit illum condemnare, ex Valentia, 3. disp. 5. q. 8. & Soto l. de iust. q. 6. art. 5. in primam inobedientiam in re gravi: occidere: enim iam innocentem. Sed in sententia Iam. Sanchez supra lib. 5. c. 1. §. 1. n. 4. id an procedat, ibidem vide. Quod si (stando in sententia Valentia) renueret, quia vellet potius a sua Republica morte benigna interfici, quam à Tyranno morte fortasse crudeli, possitne licitè occidi à Republica tu cogita; est enim casus, si non metaphysicus, certe rarissimus.

An per preventionem occidere possis inimicum?

15. Inquires quartò; An possim licitè prævenire occidendo eum, qui me parat occidere? Respondeo. Duo hic sunt distinguenda. Alterum videtur certum: incertum, & periculosum alterum. Certum videtur, posse à me cum moderamine toties dicto interficere eum, qui proxime, & in proximo parat me iniuste aggreddi. Ita Navarrus in summa, cap. 15. num. 3. Sylvester, v. Homicidium 1. quest. 1. Bann. 2. 2. q. 64. art. 7. dub. 4. Less. lib. 2. cap. 9. d. 3. Ratio est, quia illa propinquitas periculi, est moraliter actualis aggreffio. Dari solent exempla: Si Maritus evaginet gladium, si sub cervicali abscondit perionem, si licium domum adducat ad uxorem notam occidendam; potest tunc, si moraliter certò id præadvertat, Vxor, prævenire occidendo illum, vel sic, alia via non apparet salutis. Secundò, si quis

eat ad solvendum canem, vel leonem, ut me fugere non valentem dilacerent; possum eum antè necare, quam bestias solvat. Tertò, si famulus me integrimo teneat, præfente, atque imperante Domino; possum ipsum Dominum præveniendo è medio tollere, si aliter mortem meare nequeam: Quartò, si venenum mihi parasti, nec ego possum illud vitare, nisi aliquo artificio illud tibi propinem; propinare tibi utique possum: Hæc & similia, idè licitè fiunt (sed non ex affectu odij; at, ut me liberem) quia adest iam præfens, & moraliter actualis aggreffio, &c.

Et fortasse, quando Molina, de iust. 2. tract. 3. d. 7. n. 1. videtur concedere, in propriam, vel aliorum defensionem, latronem, qui vias publicas tenet, posse à quocumque interficere; tunc (puto) concedit, quando proximè is mortem parat, & damna Viatoribus. Rursus, quando Lessius, l. 2. c. 9. n. 48. docet maleficam, quæ magicis artibus assidue nocet per demonem, posse cogi verberibus ad desistendum: quando non adest alia via eam compescendi; imò, quando Bonac. l. 2. d. 2. ref. in part. quest. ult. sect. 1. p. 9. num. 4. addit, posse occidi; tunc est quando actu vitæ aliorum insidiatur per demones, quasi per famulos, &c.

16. Alterum incertum: An liceat interficere eum, vi veluti remotè parat me de medio tollere; Varia afferuntur exempla. Inimicus meus querit opportunitatem me occidendi; an antequam illum inveniat, possim ego illum interficere? Idem præcipit suis famulis, ut ij me circumveniant, occidantque; an possim famulos; vel Dominum, præveniendo occidere; Meus adversarius adit Iudicem; nec desistere vult, tentatque falsis testibus mihi delictum imponere, vel omnino occultum propalare, ut sic ego iniusta morte puniar; possumne, vel testes, adversarium occidere; vel etiam ipsum Iudicem, quando aliam evadendi viam non habeo, & mihi clarè constat ipsum iniustam scienter sententiam in me esse prolaturum; idem queritur, si ob hos testes falsos debetis amittere honorem, vel ampla bona temporalia: idemque si falsis, seu iniustus detractionibus famam graviter obsecrare quis tentare. Idem, si quis inique impeditur creditores meos, ne mihi in te notabili satisfaciant: nam ad honorem, & utique mea tuenda possum, ut max. dicetur, iniustum actuale in valorem, cum moderamine prædicta interficere.

17. Dico. Quamvis aliqui id concedant, ut Bonnez, l. c. probabilèque putat Petr. Navar. l. 2. c. 3. n. 391. & 375. Dicastillo, mox citandus; & quoad accusatorem. Sanchez, in Decal. l. 2. c. 39. n. 7. lege item Laym. l. 3. sect. 5. tract. 3. p. 3. c. 3. n. 1. Ego cum aliis sic pronuntio: licet speculativè hæc fieri posse probabile appareat; tamen in praxi nullò modo sunt expedienda. Ita Sotus l. 5. quest. 1. art. 8. Less. l. 2. cap. 9. dub. 8. n. 64. Diana. p. 3. tr. 5. ref. 97. & p. 5. tract. 4. ref. 6. 7. & 10. Bonac. l. c. n. 7.

Ratio est, tum quia, quando aggreffio est modo explicato remota, nunquam moraliter deest alius modus defensionis, tum quia facile sic perturbabitur Resp. dum aperitur ostium ad plura homicidia occultè committenda. Scio has, similèsq. nostra rationes non placere Dicastillo, lib. 2. de iust. tractat. 1. disp. 10. dub. 9. & apud Dian. p. 9. tract. 7. ref. 43. vide etiam ref. 52. sic immeritò.

An ad recuperandum honorem liceat occidere? Remissivè.

18. Inquires quintò: An finita aggreffione, liceat iniustum aggrefforem persequi, ad meum honorem reficiendum? Respondeo id pertinere ad ea, quæ mox §. 3. à num. 1. sunt explicanda.

#### §. II. De Homicidio ob defensionem Bonorum.

**L**icere occidere volentem mea bona alicuius momenti iniuste occupare, si aliter ea defendere nequeam, certum est, tum iure naturæ, tum civili. Ita Sotus: